



Wo. 40.



4

DISSERTATIO INAUGURALIS IURIDICA  
DE  
LITTERARVM CAMBIALIVM  
ACCEPTATIONE

---

QVAM  
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO  
D O M I N O  
CAROLO AVGVSTO  
DVCE SAXONIAE IVLLACI CLIVIAE MONTIVM ANGARIAE ET GVEST-  
PHALIAE REL.

CONSENTIENTE ILLVSTRI IURISCONSVLTORVM  
ORDINE  
PRO SVMMIS IN IVRE HONORIBVS  
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI  
SVBMITTIT  
IOHANNES DIEDERICVS GRIES  
HAMBVRGENSIS.

---

I E N A E,  
EX OFFICINA FROMMANNI ET WESSELHOEFTII  
M D C C C.

UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT

LIBRARY OF THE  
UNIVERSITY OF SACHSEN-ANHALT  
MAGDEBURG

PROF. DR. THEODOR  
LIEBIG

D. O. M. I. N. O.  
C. A. R. O. L. O. A. V. G. U. S. T. O.

UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT  
MAGDEBURG

PROF. DR. THEODOR  
LIEBIG

UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT  
MAGDEBURG

UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT  
MAGDEBURG

UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT  
MAGDEBURG



P A T R I   O P T I M O

FRANCISCO LAVRENTIO GRIES

REIPUBLICAE HAMBURGENSIS SENATORI



OMNIA HÆCCEMI 1775

STVDIORVM SVORVM CONAMINA

HERITAGE SPECIEMIN SACRILEGUM

OMNI QVA PAR EST PIETATE ET REVERENTIA

D. D. D.

A V T O R.



## PROOEMIUM.

Quicumque ad rei cambialis investigationem se accingit, quantae difficultates conamini obfent occultare sibi non poterit. Certe quidem haud exigui sunt momenti, vel totum de cambiis locum, vel singulam ejus partem perlustrare velit. Simulac ingentem scriptorum, quae ex origine cambii usque ad nostra tempora de hac materia congesta sunt, adspiciet numerum: maximam inter Doctorum opiniones diversitatem, maximamque legum innumerabilium circa quodlibet juris cambialis caput inveniet discrepantiam. Gravissimum autem ex hac ambiguitate ille status civium detrimentum capit, qui plurimum, imo fere solus in cambiali negotio versatur: negotiatores intelligo. Nam non solum quodvis fere emporium peculiarem sequitur cambiorum ordinationem, ab omnibus reliquis saepissime valde discrepan-

tem, (quae discrepantia, cambiis tot loca permigrantibus, negotium miro implicat modo et frequentissimas parit lites,) sed saepius quoque leges cambiales obscuritate, ambiguitate, insufficientia laborant; saepius, Charybdin vitantes, in Scyllam incidunt, et negotiatori ingentem solennium injungunt copiani, quorum observatio non solum valde molesta est, sed etiam toti negotii indoli repugnat. Cambium enim, ut fini respondeat, nulla ratione in via percurrere impediri necesse est.

Negotiator autem, legibus deficientibus, a jureconsultis consilium quaerens, quantas contradictiones, controversias, confusas et ambiguas opiniones inveniet! Novissimis demum temporibus nonnulli prodierunt viri, qui obscurae istius regioni clariorem attulerunt lucem; inter quos, patriae gratulans, ill. DE MARTENS, Hamburgensem, video eminere, qui egregio *de vera cambii origine* libro controversam istam materiam omni dubitatione exiit; porro ill. BÜSCH, gymnasii Hamburgensis professorem, de tota commercii disciplina optime meritum; denique beatum SIEVERING, negotiatorem Hamburgensem quondam clarissimum, qui *ad umbratione juris cambialis* a summis Doctoribus celebrata monumentum aere perennius sibi posuit. Praesertim vero hoc loco nuncupare mihi liceat ill. HUFELAND, praeceptorem meum longe veneratissimum, gratissima consuetudine



animo infixum, qui et praelectionibus academicis clariores fanioresque notiones de ista tanti momenti materia perpetuo divulgare studet, et scripto eximio *de protestatione cambiali* nuper edito, quantum lucrum litterae facturae sint monstravit, si aliquando spem nobis ostensam nova totius loci de cambiis dilucidatione implere ipsi placuerit.

Jus cambiiale meliori methodo non prius tractatum fuisse eo magis mirandum est, cum inter omnia forsan universi juris objecta nullum inveniatur institutum, cujus praecepta juridica ex ipsa rei natura, ipsoque fine tam absolute, plane et consequenter deduci possint, quam negotii cambialis praecepta. Sed quid mirum, cum haec ipsa natura, hic ipse finis tam diu in incerto fuerint, et nunc primum intelligatur, nil nisi paratissimam executionem esse verum criterium, quo hoc institutum ab omnibus similibus distinguitur. Itaque ad negotii cambialis essentiam id solum pertinet, quod paratissimam istam executionem adducere vel faciliorem reddere potest; omnia reliqua autem non nisi per accidens cum illo cohaerent. Ex quo colligi potest, non adeo difficilem esse generalem quandam juris cambialis expositionem, qua omnia ista praecepta containerentur, quae ubicunque cambia introducta sunt valorem habeant necesse est, saltem donec expressa legum particularium dispositio eorum applicationem prohibuerit.

Haec generalia juris cambialis praecepta illa forent, quae ex ipsa cambii notione atque essentia necessario profluunt. *Necessario*, dico; nam in omni hac expositione quam maxime cavendum esset, ne arbitrariae Doctorum ideae, vel accidentalia legum particularium praescripta juri isti generali immiscerentur, illisque valor communis adscriberetur. Ergo illa sola praescripta in hanc expositionem recipienda sunt, quibus neglectis omne cambiale negotium integritatem, vigorem et efficaciam servare non potest. Et hoc solum *rei naturam* omnino vocare oportet; quo autem vocabulo plerique occultam quandam qualitatem intelligunt, cui prout libet omnia monstrosa illa adtributa assingunt, quae in proprio ipsorum cerebello orta sunt.

Multum abest, ut et unicam tantum de acceptatione doctrinam in illo, quem exposui, sensu penitus elaborasse mihi adsumam. Et si potuissim, in brevissimo saltem quod mihi supererat tempore haud potuerim. Ceterum nemo non sibi persuasum habebit, multo facilius fuisse de hac uberrima materia crassa conscribere volumina, quam recta continueque via propositum persequi scopum. Rei tamen feci periculum, et quid a scriptiuncula inaugurali expectari solet, nisi periculum? Id saltem attingere studui, ut omnia, quae necessario ad hanc materiam non pertinent, penitus abscinderem; quod primum ejus officium puto, qui singu-

lam materiam clare, distincte, alienisque infitiis liberam exponere cupit. Non adeo vitare potui, de illis mentionem facere cautelis, quae accuratius politiae, ut ita dicam, negotii cambialis adhaerent. Curavi tamen, ut a praeceptis pure juridicis satis essent distinctae. Vix denique annotare opus est, quod leges particulares saepius citatas illustrandi, non probandi causa adjecerim.

§. 1.

**L**itterarum cambialium acceptatio est actus, quo liquide patet, obligationem cambio expressam rite a nobis susceptam esse.

§. 2.

Differt igitur acceptatio a promissione futurae acceptationis, quae, ceteris validae promissionis requisitis non destituta, promittentem obligat quidem, quam vero in processu cambiali persequi non licet.

§. 3.

Necessaria acceptationis cambialis requisita, neglectis legum particularium praescriptis, ea sola vocari possunt, quorum defectu obligatio ab acceptante suscepta in continenti non liquet. Indoli ergo atque naturae acceptationis cambialis haud contrarium est, si oraliter, vel instrumento ab

ipsis cambialibus litteris diverso acceptatur; dummodo quovis casu id praecautum sit, ut de obligatione suscepta statim et manifesto constet.

§. 4.

Acceptatio oralis, ne validae acceptationis effectum desitatur, vel in iudicio, vel coram notario et duobus testibus fieri debet. Rarius tamen obveniet, nisi forsitan acceptans scripturae usus sit ignarus. Quo casu autem illi acceptationi praeferenda est, quae tribus crucibus subignatis fieri solet; haec enim fraudibus latissime praebet animum, maximamque probationi infert difficultatem. \*)

§. 5.

Acceptatio etiam fieri potest per instrumentum, a veris cambialibus litteris, quarum acceptatio intenditur, plane

\*) Conclusio Imp. de anno 1671. ita sancitum est:

„Hingegen aber dergleichen acceptationes zu Verhütung vieler Irrungen und weitläufigen Prozesse schriftlich geschehen sollen, jedoch das es nichts desto weniger wegen der mündlich acceptirten Wechselbriefe bei den Rechten und Observanz sein Bewenden habe.“ Permutae autem leges particulares acceptationem oralem expressis prohibent verbis, e. g. Allg. Preuss. Landr. P. II. Tit. VIII. §. 992. Oester. Wechselordn. Art. X. Hamb. W. O. Art VIII. Augsb. W. O. Cap. III. §. 11.

diversum. Huc referendam censeo acceptationem copiae cambialis simplicis (gemeine Wechselfchrift), de qua infra §. 16. Potest etiam evenire, ut cambium per separatum instrumentum, nihil nisi acceptationis declarationem continens, acceptetur. Dummodo id praecautum sit, ut ne error circa cambium acceptatum incidere possit; dummodo instrumentum acceptationis omnibus, quae liquidissimam afferunt probationem, requisitis munitum sit: non video, cur talis acceptatio effectu juridico destituatur.

## §. 6.

Sed longe frequentissima, tutissima, maximeque naturae negotii cambialis concinna est illa acceptatio, quae ipsi cambio litteris inscribitur. Consistit haec plerumque in subscriptione nominis vel signaturae mercatoriae (Handelsfirma) acceptantis, addita voce: *angenommen*, seu: *acceptirt*, quae et per saepe abbreviari solet. 1) Subscriptio ita concipienda est, ut de persona acceptantis nullum oriri possit dubium. Non semper tamen praenomine opus est, si scilicet alio quodam criterio, e. g. munere, dignitate, vel mercatoria

\*) Hodie formulae cambiali semper supponitur acceptatio, quam olim dorso cambii inscriptam fuisse inter alia ex edicto Barcellonenfi de anno 1394 videmus, ab ill. de Martens libro suo de cambii origine adjecto. P. 108.

signatura acceptationi adjecta, a quovis altero acceptans factis distinguitur. 1)

§. 7.

Acceptationi cambiorum, quae *a vista* vocantur (Wechsel auf Sicht, nach Sicht), dies, quo acceptantur, adjungendus est. Quod si per conniventiam praesentantis omittebatur, huic incumbit temporis solutionis praeslandae probatio. Praesentans, ut tempus solutionis a die primae praesentationis computetur, exigere potest, etsi acceptatio, absque justa causa, serius facta esset. 2)

§. 8.

Numerum nummorum solvendorum, si cum eo, qui in ipsa cambii formula indicatus est, omnino concordat, acceptationi adjungere non necesse est. Si autem differt, pro numero acceptationi adjecto valet acceptatio. Si summa pecuniae in formula cambii cifris expressa ab illa differt,

\*) Multae tamen ordinationes cambiales praenomine additionem postulant. e. g. Oesterr. W. O. art. X. Bremer W. O. art. XVI. Leipz. W. O. §. VIII.

\*) Materialien §. 74. seqq.

quae litteris designata est, posterioris solutionem acceptatione, cui neutra adjecta est, susceptam esse censetur. \*)

§. 9.

Si acceptans per mandatarium, seu alio loco, quam in quem cambium directum est, solutionem praestare vult; nomen solventis et locum solutionis clare et distincte acceptationi adicere debet.

§. 10.

Cambium vera acceptatione carens regulariter pro acceptato haberi nequit. Attamen legibus nonnullis particularibus sancitum est, cambium, quod trassatus per noctem penes se retinuit, pro acceptato habendum esse \*\*). Ubiunque vero hanc dispositionem applicare volumus, necesse est 1) cambium ad ipsius trassati manus pervenisse; 2) trassatum, cambio recepto, animum non acceptandi haud declaravisse; 3)

\*) *ibid.* §. 70. seqq.

\*\*) E. g. Allg. Preuss. Landr. P. II. Tit VIII. §. 993. Hamb. W. O. art VII Bremer W. O. art XXI. Hanc dispositionem antiquissimi juris esse ex edicto jam supra laudato magistratus Barcellonenfis de anno 1394 elucet, quo fere idem cautum invenimus. Vide Versuch einer histor. Entwicklung des wahren Ursprungs des Wechselrechts von G. F. von Martens. Pag. 109.



trassatum per totum tempus legibus praescriptum secum habuisse cambium, nec acceptasse. Minime vero tacita illa (si ita eam vocare volumus) acceptatio, ob probationis difficultatem, ad processum cambialem apta videtur, nec igitur acceptationi expressae omnino equiparanda est \*). Et ipsae leges supra citatae, si verum earum sensum respicimus, trassatum minus ad solvendum quam ad acceptandum obstringere videntur.

## §. 11.

Cambia propria (eigne Wechsel) ex rei natura acceptatione non indigent, quia obligatio suscepta ex ipsa cambii formula jam satis apparet. Attamen aliae ordinationes cambiales eam indistincte praescribunt \*\*), aliae tum demum, si

\*) Püttmanns Grundsätze des Wechselrechts, §. 106. Sam. Stryk in differt. de cambialium litterarum acceptatione §. 21. contendit quidem, acceptationem tacitam ex principiis juris romani validam esse, cum qui tacet, dum loqui debuit et potuit, consentire videatur. Sed minus recte, ni fallor. Riger enim cambialis liquidissimam requirit probationem, quam tacita acceptatio praebere non potest. Si ergo praesentans ex sola cambii retentione contra trassatum agere vult, omnibus quas processus cambialis requirit probationibus destitutus ad ordinarium processum refugere cogitur, ipsumque, quo nititur, instrumentum tota cambii natura exiit.

\*\*\*) E. g. Hamb. W. O. art. X.

cambium proprium indossatum et de manu in manum transgressum est \*). Ceterum, si legibus expressis cambiorum propriorum acceptatio praescripta est, apparet, eam essentialibus cambii requisitis adnumerandam esse.

## §. 12.

Omne cambium trassatum (trassirter Wechsel), cujus solutionem trassatus suscipere vult \*\*), acceptatione indiget, quia aliter non liqueret, num trassatus mandatum cambio contentum suscepisset. A qua regula ea solummodo cambia excipienda sunt, quae praesentatione facta in continenti solvuntur; minime vero cambia *auf Sicht*, quae plerumque viginti quatuor horis post primum eorum adspectum elapsis solvi solent.

## §. 13.

Et si ejusdem cambii plura dentur exemplaria, unum eorum acceptari sufficit. Adeo trassatus absque periculo plu-

\*) Leipz. W. O. §. 4. Augsb. W. O. cap. III, §. 14.

\*\*\*) Hoc additamentum haud superfluum duxi, cum minus accurate saepius affirmari animadverterim, omne cambium trassatum indistincte esse acceptandum. Acceptatio autem, nisi promissione antecessa, semper est actus facultatis.

ra acceptare non potest, nisi de ejus, quod jam acceptaverat, exemplaris interitu nullum exstat dubium. Sin minus valutam cambii, quoties acceptavit, toties solvere haud recufare posset, nisi in ipso solutionis termino acceptatorum exemplarium identitatem probaret.

## §. 14.

Plerumque prima cambii schedula acceptari solet. Sed et secunda vel tertia valide acceptari possunt, si trassato prius offeruntur. Quodlibet enim cambii exemplar, nisi uno jam acceptato, eodem gaudet vigore atque effectu.

## §. 15.

Copia cambii qualificata (Wechselcopie in sensu eminenti) non nisi in honorem indossantis acceptari potest, cujus subscriptio propria manu copiae imposita est. Nam in honorem alterius, cujus autographum in copia non exstat, absque periculo acceptari nequit, quoniam hic ex copia nullo modo obligatus est.

## §. 16.

Copia cambii simplex (gemeine Wechselabschrift) fere unico casu acceptari solet, cum scilicet praesentans alio loco

(3) 2

domicilium habet, ac acceptans. Sed tunc quoque trassatus non copiam, sed ejus originarias litteras acceptare videtur, quod et expresse in acceptatione declarare debet: Cum vero acceptans non nisi maximo cum periculo, cambio, quod ipse non vidit, cujusque de bonitate et veritate certior factus non est, sese obstringere possit: saltem consilii est, ea tantum conditione copiae se immiscere, ut cambium originarium solutionis die exhibeatur ejusque bonitas ac veritas satis probetur.

## §. 17.

De trassati obligatione ad declarandum, num acceptare velit necne, ex principiis universalibus nihil parumve dicendum erit. Mea quidem sententia talis obligatio omnino non existit, nisi unico casu, quod trassatus acceptationem antea promiserit. Declaratio enim non minus quam acceptatio actus est facultatis, et si leges particulares tacent, non video, qua ratione trassatus ad declarationem proferendam cogi possit. Quoad effectum vero denegatio declarationis aequat acceptationis denegationem. Nam utroque casu praesentans jura sua protestando sibi reservabit.

## §. 18.

Plurimae ordinationes cambiales trassato certum tem-

pus declarationis proferendae praescribunt. \*) Satis vulgarem invenimus eam dispositionem, ut tam mature saltem declarationem pronuntiet trassatus, ut, acceptatione negata, praesentanti tempus superfit ad protestationem interponendam, ejusque instrumentum cum primo cursu publico ordinario ad domicilium trassantis vel remittentis transmittendum. \*\*)

## §. 19.

Post solis occasum trassatus ad declarandum non est obligatus, quia tunc ne protestationem quidem cambialem praesentans interponere possit, quae, ut omne instrumentum notariale<sup>1</sup>, integro die conficienda est. \*\*\*) Nec in diebus, quos cultus acceptantis feriatos habet, declaratio ab illo exigere potest. Attamen festa sanctorum Catholicorum non bene huc referuntur, nisi negotiorum tractatio in illis prohibita est. \*\*\*\*)

\*) E. g. Oesterr. W. O. art. XI. Copenhag. W. O. §. 5. Nürnberg. W. O. cap. II. §. 1. etc.

\*\*) Grundriß des Handelsrechts von G. F. von Martens, §. 91.

\*\*\*) Ordinatio notarialis, §. 24.

\*\*\*\*) Materialien, §. 63. seq. — De Judaëis in ord. camb. Hamburg. art. 13. ita sancitum est: „Wenn Wechselbriefe auf hiesige Juden an einem Sonnabend

## §. 20.

Acceptatio vel pura vel restricta est. Pura existat acceptatio, si acceptans omnibus cambii praescriptis, qualiacunque sint, satisfacere sese obligat. Acceptatio sola nominis subscriptione facta semper pro pura habenda est.

## §. 21.

Acceptatio restricta est omnis, quae non ad totum cambii praescriptorum complexum extenditur. Potest autem restringi acceptatio vel conditione adjecta, vel mutatione respectu summae, temporis, generis monetae, aliorumque cambii praeceptorum ab acceptante facta.

oder andern der Juden Festtage ankommen, sollen die Juden zwar an solchen Tagen unmolestiret bleiben, aber dennoch schuldig seyn, wenn die Wechselbriefe nach Sicht lauten, von dem dato, daß sie hier angekommen, zu acceptiren.“ Sed haud facile ab iniquitatis accusatione haec dispositio liberanda erit. Recte quidem lex citata Judaeos festis ipsorum diebus haud molestari vult; totam vero hujus praescripti aequitatem eo tollit, quod cambia nach Sicht vocata a die adspectus possibilis, non veri adspectus, acceptari jubeat, et quidem absque ulla acceptantis culpa. Hoc autem generali circa tempus acceptationis regulae repugnat, illi scilicet: Trassatum non prius ad acceptandum obligatum esse, quam praesentanti jure praesentandi uti licet. Atqui lex cit. Judaeis cambia die festo praesentari prohibet, et tamen cambia acceptari vult, ac si die festo praesentata essent. Sane difficilis interpretationis dispositio, nisi Judaei fere ubique in ecclesia pressa tenerentur,

## §. 22.

Conditio vel suspensiva vel resolutiva acceptationi ad-  
jici potest. Saepissime autem difficilis erit distinctio, an ac-  
ceptans suspensivam aut resolutivam adjecerit conditionem,  
quod in effectu tamen maxime differt. Si enim ultimo die  
discretionis (Respekttage), in quo protestationem interponere  
licet, conditio suspensiva acceptationi adjecta nondum exi-  
stit, cambium pro non acceptato habendum est. Sed condi-  
tio resolutiva acceptationis vigorem, nisi a momento condi-  
tionis existentis, non impedit. Si ergo ultimo die discre-  
tionis conditio resolutiva nondum existit, acceptans cambii  
solutionem nullo modo recusare potest.

Quoniam vero conditio acceptationi adjecta non potest  
quin rapidum negotii cambialis cursum interdum valde re-  
tardet: multae leges particulares acceptationem conditiona-  
tam omnino vetant, multae conditionem pro non adjecta  
habendam esse statuunt \*).

## §. 23.

Quilibet, cambialiter contrahere lege non prohibitus,  
acceptare potest. Jure ad acceptandum *obligatus* nemo est,

\*) E. g. Leipz. W. O. §. 8. Augsb. W. O. cap. III. §. 24. Bremer W. O.  
art. 16.

nisi qui acceptationem promittit. Plerumque trattatus acceptat.

## §. 24.

Cambium ad plures personas directum a quovis singulo acceptari debet \*). Plures acceptantes ejusdem cambii regulariter non nisi pro rata obligantur, et circumstantiis extraordinariis tantum, vel speciali legis dispositione obligatio solidaria hic producitur.

## §. 25.

Acceptationem et per mandatarium fieri posse haud dubium est. Interdum leges ad hunc actum conficiendum mandatum judiciale vel notariale exigunt \*\*), quae dispo-

\*) Ex jure communi ne focii mercatorii quidem unius focii acceptatione obligantur. Sed vix ullum esse emporium credo, ubi haec dispositio non abrogata sit. In dubio focii mercatorii unius eorum acceptatione ubique in solidum obligantur. Quod si aliter constitutum esset, omnis cambii utilitas plane cessaret. Conf. Riccii exercitationes in universum jus cambiale. Exerc. II. §. 70. seqq.

\*\*) Hamb. W. O. art. VIII. Conf. Materialien §. 51. Si adductiores esse volumus, ne notariale quidem mandatum sufficit; sed semper judiciale opus est. Solum enim judiciale mandatum in judicio depositum aut in protocollum re-



tio promptioris probationis causa omnino laudanda est. Cum vero acceptatio procul dubio sit actus magni momenti, mandatum generale ad negotia mercatoria conficienda non sufficit, sed speciali mandato opus est, etsi non singulo pro unaquaque acceptatione. Mandatum tacitum vix ullo casu licitum est. Quomodo enim in processu cambiali statim probari posset? Qui autem pro mandatario se gessit, si omnino cambialiter contrahere potest, semper ad cambium solvendum obligatus est.

## §. 26.

Si trassatus, ob quamcunque causam, non acceptat, alius ejus locum implere proprioque nomine cambium acceptare potest, vel ex alterius mandato, vel sua sponte acceptationem offerat. Utroque casu pro interveniente haben-

daentem, si trassatus se mandatum dedisse, negat, paratam probationem praesentanti suppeditat; cum e contrario mandatum notariale in mandatarii manibus remanens praesentantem vel plane desereret, vel difficiliorem saltem redderet probationem.

duſ et actus ipſius ex interventionis principiis dijudican-  
duſ eſt.

## §. 27.

Plerumque haec interventio ex mandato ipſius traſſantis,  
vel indoſſantis cujuſdam locum habet. Qui ſi verentur, ne  
traſſatus acceptationem denegat, ipſi cambio mandatum ad  
tertium directum imponere ſolent, eo conſilio, ut hic, traſ-  
ſato deficiente, cambium acceptet. Tale mandatum litteras  
commendatitias (Nothadreſſe) vocare ſolent.

## §. 28.

Litteris commendatitiis praefentans, in caſu accepta-  
tionis a primo traſſato denegatae, intervenientem praefum-  
tivum hiſce litteris designatum adire, illique cambium ad  
acceptandum praefentare obligatur. Pluribus litteris com-  
mendatitiis eidem cambio inſcriptis, ille primum adeundus  
eſt, quem prior cambii particeps designavit, et ſic reliqui  
ex ordine. Qui igitur ab ipſo traſſante designatus eſt, omni-  
bus reliquis praefertur \*).

\*) Hujus ordinis ratio ſine dubio in eo poſita eſt, quod priores cambii par-  
ticipes majori obligatione obſtringantur, quam poſteriores. Si enim ultimus

Si tertius acceptat cambium, actus ipfius acceptatio in honorem (*accettazione per onore*) vocatur.

§. 29.

Interdum aliquis acceptat, cujus nomen in cambio antea non inveniebatur. Quod autem fieri non potest, nisi primo trassato omnibusque per litteras commendatitias invitatis acceptationem denegantibus. \*) Hic acceptans vel ab uno eorum, qui cambio sese immiscuerunt, mandatum ad acceptandum recepit, vel non. Priori casu valet regula in §pho superiori exposita; qui igitur ab ipso trassante habet mandatum, omnes antecedit. Acceptatio absque ullo mandato facta omnino pro negotiorum gestione habenda, ejusque ex principiis dijudicanda est.

cambii possessor contra aliquem ex his, qui cambio obligati sunt, regressu utitur, omnes qui hunc sequuntur obligatione liberantur, minime vero qui eum antecedunt. Quilibet ergo, quo magis ex cambii desertione periclitatur, jure exigit, ut quae ipse in securitatem ejus paravit maxime respiciantur.

\*) Püttmann. §. 126.

§. 30.

Qui in alterius honorem acceptat, in subscriptione cambii enuntiare debet, cujus in honorem acceptatio facta fit. Si in cambii honorem (*per onore di lettera*) se acceptare notat, semper acceptatio pro trassante facta censetur. Potest enim tam in trassantis quam indossantis honorem fieri acceptatio. Num et in honorem trassati? Hoc saltem naturae negotii haud repugnare videtur. Acceptationi in honorem trassati, e. g. eo absente factae, non video, quae difficultas jure opponi posset.

§. 31.

Nec minus apparet, trassatum, si forsan ex mandato trassantis cambium acceptare dubitat, in honorem tertii acceptare posse. Quo casu trassati acceptatio nihil est nisi interventio. \*)

§. 32.

Possessor etiam cambii in honorem acceptare potest, imo, si cambii dominus est, omnes reliquos praecedit. Et qui-

\*) Von Martens Handelsrecht. §. 107.

dem hanc ob causam, quia ipsi, tanquam cambii domino, electio competit regressus adversus omnes, qui cambio obfricti sunt. Quilibet autem sibi optime cavet. Denique hoc modo omne cambiiale negotium facillime finitur. Apparet tamen, hanc interventionem locum non habere, nisi vel litteris commendatitiis plane deficientibus, vel acceptatione ab iis, in quos directae fuerunt, denegata.

§. 35.

Acceptatio *sopra protesto* generaliter est omnis, quae post protestationem interpositam locum habet. Cum autem ordinarie in quovis casu acceptationis vel plane, vel secundum integra transantis praecepta denegatae, protestari oporteat: \*) sequitur, ut quaevis conditionata vel restricta transati, perinde ac quaevis tertiæ acceptatio re vera sit acceptatio *sopra protesto*. Hoc nomen minus indicat separatam acceptationis genus, quam omnes illas complectitur acceptationes, quae fufius jam supra expofitae sunt, simulac post protestationem interpositam contingunt.

\*) Conf. III. Hufelandii primas lineas doctrinae de protestatione cambiali. §. 16. seqq.

Acceptationem *sopra protefio* tam diu patere, quam nemo ex mandato vel sua sponte acceptaverit, haud dubium est. Quid autem, si aliquis jam acceptavit? Hic valet regula: Qui acceptat solvit; nec ante solutum cambium cuivis acceptanti recedere licet. \*) Si autem primus trassatus, interventione facta, puram offert acceptationem: interveniens quidem illi cedere nec debet nec potest, \*\*) attamen trassati acceptationem in cambium recipere ipsi liberum est. Quo fit, ut die solutionis cambium trassato primum praesentetur ad solvendum; interveniens tamen non prius ab obligatione sua liberatur, quam re vera cambium est solutum, nec prius acceptationem delere potest. \*\*\*) Per se autem intelligitur, intervenienti plenam indemnitatem a trassato praestandam esse.

\*) Stryk de camb. litter. acceptatione. Cap. IV. §. 1.

\*\*) Nonnullae ordinationes cambiales intervenienti discrete praescribunt, ut trassati acceptationem admittat; e. g. Frankf. W. O. §. 18. Augsb. W. O. cap. VI. §. 2. Plures tamen ejus arbitrio rem relinquunt; e. g. Leipz. W. O. §. 17. Braunsch. W. O. art. XVIII. Oesterr. W. O. art. XXVI. et multae aliae.

\*\*\*) Materialien. §. 182. seqq.

*CONSPECTVS.*

- I. Notio et expositio acceptationis §. 1 — 3.
  - II. Acceptatio oralis et scripta §. 4 — 6.
  - III. Requisita formulæ acceptationis §. 7 — 9.
  - IV. Acceptatio tacita §. 10.
  - V. Quæ cambia acceptentur §. 11 — 13.
  - VI. Quæ cambii exemplaria §. 14 — 16.
  - VII. Tempus acceptationis §. 17 — 19.
  - VIII. Acceptatio pura vel restricta §. 20 — 23.
  - IX. Quis acceptet §. 25 — 25.
  - X. De Interventione ad acceptationem §. 26 — 34.
-

INSTITUTIONES DE AGRICULTURA

DE AGRICULTURA

DE AGRICULTURA

DE AGRICULTURA

DE AGRICULTURA

DE AGRICULTURA

DE AGRICULTURA

DE AGRICULTURA

DE AGRICULTURA

DE AGRICULTURA

DE AGRICULTURA

DE AGRICULTURA

DE AGRICULTURA

DE AGRICULTURA

DE AGRICULTURA

DE AGRICULTURA

DE AGRICULTURA

DE AGRICULTURA

DE AGRICULTURA

DE AGRICULTURA

DE AGRICULTURA

DE AGRICULTURA





KK 698

ULB Halle

3

005 368 855




Retw 17.8.00 ✓

VD 17







DISSERTATIO INAUGURALIS IVRIDICA  
DE  
LITTERARVM CAMBIALIVM  
ACCEPTATIONE

QVAM  
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO  
D O M I N O  
CAROLO AVGVSTO  
DVCE SAXONIAE IVLLACI CLIVIAE MONTIVM ANGARIAE ET GVEST-  
PHALIAE REL.  
CONSENTIENTE ILLVSTRI IVRISCONSVLTORVM  
ORDINE  
PRO SVMMIS IN IVRE HONORIBVS  
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI  
SVBMITTIT  
IOHANNES DIEDERICVS GRIES  
HAMBVRGENSIS.

IENAE,  
EX OFFICINA FROMMANNI ET WESSELHOEFTIL  
MDCCC.